

DE
PLVRIMIS THVCYDIDIS HERODOTIQVE LOCIS,
IN QVIBVS VTERQVE
SCRIPTOR DE HSDEM REBVS GESTIS DISSERIT
COMMENTATIO.

SCRIPSIT
CHRISTIANVS FVETTERER,
SIEMERODANVS.

HAGIOPOLI,
EX OFFICINA J. C. DOELLII & C. BRVNNII,
MDCCCXLIII.





IN
KLEINER
RECHT
KOMMENTAR

HACHS

BY OFFICE A. C. DOLLIN & BARNES

AMSTERDAM

Scripturo mihi de Thucydides Herodotique quibusdam locis a re non plane alienum videtur de indole utriusque historici pauca praemonere et quandam instituire comparationem, quam perficere difficillimum est.

Thucydides plane aliam atque Herodotus inquit rationem, ut statim apparet ex his in libri prooemio perscriptis verbis I, 1. *ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων, ὡς ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους.* cf. V, 26. Contra Herodotus I, 1. *ὡς μήτε τὰ γενόμενα ἐξ ἀνθρώπων τῷ χρόνῳ ἐξίτηλα γένηται, μήτε ἔργα μέγαρα τε καὶ θωμαστά, τὰ μὲν Ἕλλησι, τὰ δὲ βαρβάρουσιν ἀποδεχθέντα, ἀκλεα γένηται τὰ τε ἄλλα, καὶ δι' ἣν αἰτίην ἐπολέμησαν ἀλλήλοισι.* Apud Herodotum igitur id potissimum agitur, ut historia universalis componatur, cuius magnam partem bella Graecorum contra Persas facta occupant.

Illis autem temporibus, quae poësi epicae proxima sunt, oratio et dulcedine et candore et latitudine sermonis epici indueretur necesse erat, quia hic Noster bellum contra barbaros describens eo inducebatur, ut splendidissima Graecorum ingenia pro patriae libertate certantia eorumque facta egregia lactea illa ubertate depingeret. Nam post pugnam Marathoniam quum Xerxes omne Graecorum nomen in potestatem suam redigere vel exstinguere minitaretur, exsules civilium iniuriarum obliti in patriam arcessebantur festinanterque adrolabant, ut sedem patriam deosque penates a servitute defenderent; copiae paucissimae ingenti Persarum exercitui resistebant; classis Graecorum mediocris feliciter pugnabat; denique ad Plataeas Persae ad internecionem usque caedebantur.

Exordium a primis fere temporibus repetens, fabulas Graecorum de Argonautis, Hercule, Agamemnone Troiaque capta tantum nomine demonstrans atque remittens, epico fere modo narrationes inserit Herodotus, quae licet ad

rem non faciant, ad intelligendam historiam quam plurimum valent neque facile omitti poterant. Quamobrem in virorum doctorum, quorum unum Popponem Proleg. ad Thucyd. P. I. vol. I. p. 16 sq. nominare satis erit, vituperationem incurrit; neque caruit defensore sagacissimo Dahlmann: Forschungen auf dem Gebiete der Gesch. II. p. 171. qui eiusmodi incursiones in Herodotum reiicere studuit.

Herodotearum historiarum finem cum perlegerem, subita interrogatio in mentem mihi venit, cur scriptor post expositam pugnam Plataeensem Mycalensemque statim finem operi suo non imposuerit. Addit enim quaedam de Persicis rebus et de urbis Sesti expugnatione IX, 114 sqq., cuius Thucydides I, 89. inter prima potestatis Atheniensis initia mentionem iniicit. Facta ad Mycalen pugna cum Graeci Leotychide duce superiores decessissent, Peloponnesii Herodoto teste Abydum navigaverunt, unde belli labore defatigati domum reversi sunt; Thucydides statim post pugnam Mycalensem eos redisse dicit; sed Athenienses Xanthippo imperante, quem Herodotus nominat, Sestum oppugnaverunt hibernisque positis a barbaris derelictam ceperunt. Mirifice autem in hac re enarranda uterque scriptor consentit, si summam spectes. Nihil enim mireris, quod Thucydides multo brevior in his exponendis est, quam Herodotus, propterea quod ea tractare illius non erat. Herodotus vero re fusius explicata, nominibus ducum adiectis, totius operis additis quibusdam morum praeceptis finem facit.

Ex his conficere licet, Herodotum non certum conscribendae bellorum Persicorum historiae cepisse consilium; sed si vita viresque suppetivissent, etiam bella sub Cimonis, Periclis aliorumque auspiciis gesta illustraturum fuisse; atque e locis, quales sunt VII, 114. 137. III, 160. VII, 7. VI, 98. III, 12. 15. I, 130. IX, 73. cf. VII, 233. ex apparere videtur, ad huius rei materiam colligendam eum iam applicavisse.

Jam vero ad Thucydidem transeamus. Hic ingenio ad temporis sui historiam delatus et belli miseris maximopere affectus praecepta rerum publicarum administrandarum historiae inseruit et cognitione rerum gestarum propo-
sita non tam a belli intestini strepitu Graecos avocare, quam servare studuit. Moderatione enim temperantiaque inter Graecos sublata, timendum erat, ne tota Graecia maximis animorum incitationibus conflagraret neve externis hostibus praedae esset. Illo igitur usus consilio ingenii Graeci et levitate et gravitate luculentissime depicta remedia quodammodo demonstravit, quibus Graecia servaretur. Ulrici Charact. der alt. Historiogr. p. 45.

Ceterum mirandum non est, quod Thucydideum scripturae genus ex unanimo fere virorum doctorum consensu et paullisper obscurum et semper sibi instans et strennum habetur. Namque cum Graeciam summa gloria ac splendore vigentem vidisset, illam usque eo adductam perspiciebat, ut civium civitatumque discordiis dilaceraretur. Unde factum est, ut temporis acerbitas in Thucydidis et ingenium et scripturae genus effunderetur. Contra Herodotus materia ipsa adiutus Persis expulsis Graeciam revirescentem ad summamque gloriam florescentem haud ignobili ubertate describit. Dahlmann l. l. II, p. 223.

De rebus vero ante bellum Peloponnesiacum gestis disquirere se velle diserte negat Thucydides I, 1. *τὰ γὰρ πρὸ αὐτῶν καὶ ἔτι παλαιότερα σαφῶς μὲν εἶρεσθαι διὰ χρόνον πλῆθος ἀδύνατα ἦν.* Attamen hanc rem non plane reiicit, quod multae hominum res non cognitae, quae antea evenerunt, plane intelligi nequeunt. Sed in hac re idem ei accidit, quod Cornelio Tacito Ann. III, 19., ut vera propter longinquitatem temporis aut difficillima sint inventu, aut diiudicari non possint. I, 20. Sed iam quo melius civitatum Graecarum status ac belli origo perspiceretur, luculentum illud historiae suae prooemium criticum praemit-
tit, quo veritatis amantissimus, a superstitione alienissimus, nullas Graecorum fabulas fastidiose respuens, quid verum sit, quid falsum in rebus Graecis acute

perscrutatur. Creuzer histor. Kunst der Gr. p. 207. Longe autem diversus ab eo est Herodotus, qui pio ductus animo iis, quae in deorum cultu aut antiquitate sancita aut rerum divinarum interpretibus confirmata erant, facile fidem habet. Neutrum vero ausim veraciorem dicere, licet non desint, qui Thucydidem criticum historiarum scriptorem praedicantes Herodoto credulitatem obiiciant et falsiloquum eum exhibeant.

De eorum genere scribendi Cicero multique alii praeclara iudicia tulerunt, quorum tantummodo unum huc referam e Dionysio Halicarnassensi, iudice non spernendo, ep. ad Pompei. p. 210, 3. *καλαὶ μὲν αἱ ποιήσεις ἀμφότεραι* — *διαφέρουσι δὲ κατὰ τούτου μάλιστα ἀλλήλων, ὅτι τὸ μὲν Ἡροδότου κάλλος ἰλαρόν ἐστι, φοβερόν δὲ τὸ Θουκυδίδου*. quicum alia, quod ad summam rerum pertinet, congruunt.

Uterque scriptor orationes historiae innectit, quarum diversam naturam quemquam non facile melius descripsisse arbitror, quam Marcellinum, qui dicitur, vit. Thucyd. 38. sqq. Thuc. ed. Goeller. — *δι' ὀλίγων γὰρ ἐποίησε (Ἡροδοτος) λόγων ὡς προσωποποιίας μᾶλλον ἢ περὶ δημηγορίας κ. τ. λ.* Quorum verborum et veritatem et gravitatem non immerito pronuntiavit Creuzer l. l. p. 166., cui et ego ea debeo. Quae quidem orationes apud veteres rerum scriptores idem valent, quod nostris diebus narrationes actorum diurnorum, arbitriumque populi de rebus exhibent. Ceterum non dubito, has orationes omnium recentiorum et ratiocinationibus et sermonibus narrationi rerum gestarum interpositis, quibus iudicii libertas cohibetur, antepone.

Thucydides I, 2. de antiquissima Graecia *τὴν γοῦν Ἀττικὴν ἐκ τοῦ ἐπὶ πλείστον διὰ τὸ λεπτότερον ἀστασίαστον οὖσαν ἀνθρώποι ὄρον οἱ αὐτοὶ αἰεὶ. Εὐανδὸν fere sententiam exhibet Herodotus I, 56. καὶ τὸ μὲν (Πελασγικόν) οὐδαμῶς καὶ ἐξεχώρησε. c. 57. τὸ Ἀττικὸν ἔθνος ἐὸν Πελασγικόν. VIII, 44. Ἀθηναῖοι δὲ ἦσαν Πελασγοί.* Is aequae ac Thucydides Atticos homines *ἀνιοχθόνας* profitetur,

quam sententiam rhetores multa iactatione extulerunt. Etiam Atheniensium ad Gelonem Syracusarum tyrannum legatus iactat ἀρχαῖότατον μὲν ἔθνος παρεχόμενον (Ἀθηναίους) μόνους δὲ ἔόντας οὐ μετανασάτας τῶν Ἑλλήνων. Herod. VII, 161. Sed nostrorum temporum disquisitionibus illa magnam partem ab Atheniensibus gloriosis conficta terramque Atticam a seditionibus atque migrationibus incolarum esse vexatam explicatum est. Thucydides, quod nomen antiquissimis Atticae incolis fuerit, in medio relinquit, Herodotus vero Pelasgos eos appellans virorum doctorum turbas excitare non debuit. Nam Jones, qui, quantum rerum coniunctionem perspicimus, Atticam tenebant, non Pelasgis sed Hellenibus annumerare propterea in animo est, quod ex iisdem sedibus ad Parnassum montem positus emergerunt, e quibus Doriensium gens; postea vero cum Erechthei temporibus in Atticam recepti aliisque gentibus aucti essent, rerum potiti sunt. Pelasgi autem imperio Atticae perduto arctis finibus inclusi ad Hymettum montem habitaverunt; nec tamen in his locis quieti esse potuerunt. Nam cum Atheniensium virgines ac mulieres, quae apud novem fontes aquabantur, violavissent, Attica exacti sunt. Deinde Lemnum insulam incolentes ad ultionem pro patria amissa repetendam quinquerebus ornatis Atticas mulieres rapuerunt. Hecat. apud Herodot. VI, 137. sq.; id quod novi belli ansam praebuit, quo Athenienses sub auspiciis Miltiadis Lemnum a Pelasgis inhabitatam ceperunt. Herod. VI, 139. Ex his quidem rebus, Atticam quoque incolarum et migratione et mutatione agitatum neque ob terrae sterilitatem ab iis liberam fuisse, satis apparet. Illius vero Hellenico - Doricae - Ionicaeque communis originis haud leve testimonium perhibere videtur, quod Jones a Cyri copiis pressi auxilii implorandi causa Spartam legatos miserunt. Herod. I, 142. Nec minoris aestimanda communitas et sacrorum et oraculorum est. Nihil autem interesse primitus inter Dorienses, Jones Achaeosque etiam ex eo apparet, quod Cleomenes Laco sacerdoti Atheniensi respondit. Herod. V, 72. ὦ γίγαι,

ἀλλ' οὐ Λωριεύς εἰμι, ἀλλ' Ἀχαιός. Attamen magis magisque multis nescio quibus rebus dividebantur, sed diversis moribus receptis communem Graecorum indolem retinebant.

Graecia autem universa cum hominum frequentia abundaret, coloniae in insulas terramque Asiae continentem deductae sunt; id quod Thucyd. I, 2. de Attica his tantum verbis demonstrat. — — ὥστε καὶ ἐς Ἰωνίαν ἕσπερον, ὡς οὐχ ἱκανῆς οὔσης τῆς Ἀττικῆς, ἀποικίας ἐξέπεμψαν, cum Herodotus fuse accurateque de earum situ, conditoribus, sacris verba facit. Minime tamen infitias eo, etiam multos Pelasgos cum Hellenibus in unam gentem coisse.

Ex opinione Thucydidis I, 4. cf. 8. Minos, quem Herodotus VII, 171. πρώτη δὲ γενεῇ ante Troiam captam et VII. 170. βιαιῶν θανάτων apud Siculos decessisse ait, antiquissimus classe ornata Graeci maris imperium adeptus Cares Phoenicesque piratas Cycladibus insulis eiecit multisque populis in potestatem suam redactis dominationem Cretensium constituit. At Herodotus I, 171. τὸ γὰρ παλαιὸν εὐόντες Μίνω τε κατήκοοι (Κἄρες) — εἶχον τὰς νήσους, φόρον μὲν οὐδένα ὑποτελέοντες — — οἱ δὲ, ὅπως Μίνωσ δέοιτο, ἐπλήρουσι οἱ τὰς νέας. Quam rerum discrepantiam ita dirimere velim; pars insulanorum ad Minois arbitrium potestatemque tantopere se accommodavit, ut in Cretam colonias deduceret; Hoeck: Kreta II. p. 6. sqq. pars autem tantum abfuit, ut servituti se daret, ut novas in Asia sedes quaereret. Quam θαλασσοκρατίαν Herod. III, 122. Πολυκράτης γὰρ ἔστω πρῶτος, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, ὃς θαλασσοκρατίην ἐπινοήθη, πάρος δὲ Μίνωσ τε τοῦ Κνωσίου innuit, quaeque longam temporis seriem implevit ex eiusdem Herodoti testimonio VII, 170. ἀνὰ δὲ χρόνον Κοῖρας — — ἀπικόμενος στόλῳ μεγάλῳ ἐς Σικανίην, πολιορκεῖν ἐπ' ἕτεα πέντε πόλιν Κάμικον. Historicis vero temporibus apud Graecos Polycrates Samius magna classe instructa primus maritimum imperium tenuit. Herod. III, 122. Thucyd. I, 13. III, 104.

Belli Troiani VII, 171. IX, 27. Troiaequae excisae I, 3-5., si Aegyptiorum sacerdotum II, 113. sqq. de Paride et Helena narrationes omittere velis, mentione vix facta Herodotus ad veram Croesi aliorumque historiam transit. At multo attentius Thucydides I, 8-11. rem diiudicat nec fastidiose fabulam a poetis decantatam aspernatur, sed postquam in eas res, quibus Graeci ad bellum subeundum permoti sunt, historico acumine altius introspexerat, cum alia carmina Homericæ, tum Iliadis II, 484. sqq. *κατάλογον νέων* manu diligente versans de classe eiusque oratione et itinere victuque disquirat atque acutissimam computationem instituit. cf. Heyne ad Hom. Il. II, 122. 493. tom. IV, p. 215. 287.

Tempus, quo Lycurgus Lacedaemoniis leges tulisse dicitur, quum tantopere ab historicorum cognitione remotum admodum incertum existat, scriptorum et ratiocinationibus et argumentationibus multo obscurius factum est. Cicero enim de re publ. II, 10. veteres Graecos secutus Lycurgum ait centum et octo annos ante positam primam Olympiadem leges scripsisse; Herodotus vero I, 65., de cuius sententia Lacedaemonii *κακονομώτατοι ἦσαν σχεδὸν πάντων Ἑλλήνων*, eum circa initium Olympiadum viginis contendit; contra si Thucydidem sequaris, qui de re Lacedaemoniorum publica, *ἐπὶ πλείστον*, ait, *ὧν ἴσμεν χρόνον στασιάσασα ὁμῶς ἐκ παλαιάτου καὶ εὐνομήθη — ἔτη γὰρ ἔστι μάλιστα τετρακόσια καὶ ὀλίγη πλείω ἐς τελευτήν τοῦ πολέμου* — illum sexaginta fere annos natu minorem habeas. Hoc inde factum esse arbitror, quod constitutio rei publicae Laconicae non statim absoluta omnibusque numeris perfecta erat, sed a tenuibus legum initiis exorsa paullatim ad illud perfectionis constantiaeque fastigium pervenit, quo omnes civitates superavit. Quia vero Lacedaemon ab antiquissimis, quorum notitia ad nos descendit, temporibus tyrannis carebat, Thucydides bonis legibus usam esse dicit; Herodotus autem propter diuturnitatem turbarum et domesticarum et externarum Lacedaemonios *κακονομώτατους* appellat.

Corcyraei Corinthiorum coloni opibus aucti, ut libertate fruerentur, cum Periandrum Corinthi tyrannum timerent et ab insula sua prohibere vellent, Lycophonem eius filium necaverunt; ἀντὶ τούτων μὲν Περίανδρος Κερκυραίους ἐπιμωρέετο. Herod. III, 52. Quomodo is ultionem repetiverit a Corcyraeis, cum ex Herodoti verbis non satis liqueat, optime perspicimus adhibito Thucydide I, 13. ναυμαχία τε παλαιάτη, ὣν ἴσμεν, γίγνεται Κορινθίων πρὸς Κερκυραίους, quam pugnam navalem Herodotus, licet eius nuntio caruisse non videatur, plane omittit. Utri vero victoriam reportaverint, etsi certis argumentis demonstrari nequeat, ex Herodoti verbis colligi licet. Jam vero his addam duos Thucydidis Herodotique diversos de maritimis Phocaeensium itineribus eorumque coloniis locos, qui multas inter viros doctos turbas moverunt. Alter exstat apud Thucydidem I, 13. Φωκαῆς τε Μασσαλίαν οἰκίζοντες Καρχηδόνιους ἐνίκων ναυμαχοῦντες alter apud Herodotum I, 166. Phocaeenses enim, cum a Persis premerentur, patria relicta Corsicam appulerunt ibique habitaverunt. καὶ ἄγον γὰρ δὴ καὶ ἔφερον (cf. Xenoph. Hell. III, 2, 30.) τοὺς περιόικους ἅπαντας. στρατεῖονται ὡν ἐπ' αὐτοὺς κοινῶ λόγῳ χρησάμενοι Τυρσηνοὶ καὶ Καρχηδόνιοι νηυσὶ ἐκάτεροι ἐξήκοντα. οἱ δὲ Φωκαεῖς πληρώσαντες καὶ αὐτοὶ τὰ πλοῖα ἑόντα ἀριθμὸν ἐξήκοντα ἀντίαζον ἐς τὸ Σαρδόνιον καλεόμενον πέλαγος· συμμεισγόντων δὲ τῇ ναυμαχίῃ Καδμείη τις νίκη τοῖσι Φωκαεῦσι ἐγένετο.

Cave confundas has Phocaeensium victorias; interest enim inter Massiliam conditam et Phocaeam a Persis occupatam spatium sexaginta fere annorum. Dum cum ceteri Graeci tum Milesii modo Chersonesum modo Pontum Euxinum modo Aegyptum negotiaturi navibus petunt eoque colonias mittunt. Herodot. II, 33. 145., Phocaeenses mercaturam facturi et rerum gerendarum cupidi itinera in Hispaniam aliasque terras occidentem versus sitas audacter susceperunt. Herod. I, 163. In his itineribus Massiliam condiderunt nulla Persarum formidine coacti. Antioch. ap. Strab. VI. init., Aristot. ap. Athen. XIII, 36., Justin. XXXXIII, 3.,

quamquam Pausan. X, 8. Massiliae conditores Phocacensium eorum partem fuisse affirmat, qui Persarum servitutem fugientes patria excesserunt. Jam cum in eo essent, ut Massiliam conderent Phocaeenses, a Carthaginiensibus metu, ne ipsorum in hac regione et potestas interciperetur et mercatura, excitatis impugnati victores decesserunt. Cuius rei commemoratio apud Herodotum non invenitur. Postea vero cum Creontiade duce patria profugi ad Corsicam insulam appulissent ibique habitare coepissent, omnia vicina et diripuerunt et expulserunt. Itaque non solum Carthaginienses sed etiam Tyrrheni, quorum memoria a Phocaeensibus ad Graecos perlata est Herod. I, 163., eos adorti sunt. Acris edita pugna navalis est, qua et victores et devicti ad internecionem usque paene confecti sunt. Phocaeenses autem victores Corsica relicta Italiam naves appulerunt et Veliam in Oenotris neque Massiliam in Galliae ora aedificaverunt. Herod. I, 167.

Jam Cyrum regno Persarum Phoenicem Cyprumque insulam subiecisse vulgaris neque obsoleta fertur inter rerum scriptores opinio. Nec vero aut apud Herodotum aut apud Thucydidem ulla huius rei testimonia reperiuntur. Sed Cyri tempore Amasis Aegypti rex Cyprum expugnavit vectigalemque sibi reddidit Herod. II, 182., quam ad Persas Aegypto capta transisse credo. Adulatores enim cum Cambysem laude ingenti extollerent, apud Herodotum III, 34. *καὶ προσεκλήσθαι Αἰγυπτίον τε καὶ τὴν Θάλασσαν* eum praedicant; verbum autem *θάλασσαν* Dahlmann Forsch. a. d. Geb. d. G. II, p. 153. ingeniose ad Phoenicem, Cyprum Graecasque insulas atque imperium Persarum maritimum refert. Quae quidem terrae cum Persicis rebus laxiore liberioreque vinculo coniunctae fuisse mihi videntur, id quod apparet ex Herodoto III, 19. *ἐν τούτῳ ἐκέλευε (ὁ Καμβύσης) ἐπὶ τὴν Καρχηδόνα πλέειν τὸν ναυτικὸν στρατὸν. Φοίνικες δὲ οὐκ ἔφρασαν ποιήσεν αὐτὰ. — Φοινίκων δὲ οὐ βουλομένων οἱ λοιποὶ οὐκ ἀξιόμαχοι ἐγίνοντο.* Et post mortem Cambysis cum omnes Persarum opes in eo essent, ut corruerent, non

est, cur Phoenices, ut homines mobiles rerumque novarum cupidi solent, libertatem recuperare conatos esse, non suspiceris. Summa tamen rerum Persicarum cum ad Darium Hystaspis filium descendisset et multo validius regi coepta esset, etiam Phoenices in gratiam obedientiamque cum Persis redierunt, qui classe Phoenicum adiuti insulas Graecas in potestatem suam redegerunt. Thuc. *Λαρεῖός τε ὕστερον τῶ Φοινίκων ναυτικῶ κρατῶν καὶ τὰς νήσους* (sc. ἐδοῦλωσεν.)

Ante bella Persica in rerum Graecarum cognitione pleraque in obscuro latent; singulae quidem res e tenebris interdum emergunt, sed ita dispersae dissipataeque apparent, ut nisi adhibita coniectura ingeniosa eas vix intelligas et explices. In hoc historiarum naufragio illud momentum, quo Chalcidenses cum Eretriensibus bellum acerbum de campo Lelanto gerebant, dignum est, quod observetur. Quo quidem bello aliae Graecorum civitates inita societate ab aliis steterunt ac pro aliis dimicaverunt. Thuc. I, 15. *μάλιστα δὲ ἐς τὸν πάλαι ποτὲ γεγόμενον πόλεμον Χαλκιδέων καὶ Ἐρετριέων καὶ τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν ἐς ξυμμαχίαν διέστη.* Herodotus vero V, 99. cum de Jonum a Persis defectione verba faciens Athenienses cum Eretriensibus consociatos illis auxilium tulisse dicat, de Euboico isto bello nonnulla addit, quae ad Thucydidis sententiam firmandam et ulterius investigandam inservire possunt; audiunt vero verba ita: *οἱ γὰρ δὴ Μιλήσιοι πρότερον τοῖσι Ἐρετριεῦσι τὸν πρὸς Χαλκιδέας πόλεμον συνδιένεικαν, ὅτε περ καὶ Χαλκιδεῦσι ἀντὶ Ἐρετριέων καὶ Μιλησίων Σάμιοι ἐβοήθηον.* Quod bellum Euboicum omnibus fere Graecis grave fuisse ex eo, quod et Samii et Milesii e terra remota advolantes auxilia tulerunt alii aliis, satis discimus. Hoc autem bello omnes Graecos motos esse atque in partes discessisse, Thucydides l. l. auctor est; et cogitanti de illis temporibus complura eiusmodi foedera occurrunt, quasi in Graecorum ingenio et indole posita fuerint. cf. Mueller Aegin. p. 114. Neque certis argumentis evinces, quam ob causam illud tam magni

nobilisque momenti fuerit. Lelantus autem campus, qui Apollini propter naturam displicebat. Hom. hymn. Apoll. 220.

— — — τό τῶν οὐχ ἄδῃ θυμῶ

fertilis et vino et aquarum salubritate metallisque haud ignobilis Strab. X, 1. iam antiquissimis temporibus, cum Curetes Chalcidem incolerent, bello occasionem dedisse ab Archemacho, Euboicarum rerum scriptore fertur, ut Strabo X, 3. testis est. Qua quidem narratione nihil nisi belli, quod aliquoties interruptum diuturnum fuit, et initium et causas in remota antiquitate latere demonstratum est. Etiam praetereundum non est nec Thucydidem neque Herodotum Lelanti campi, cuius bellum ad fabulam reiicere paene in animo est, mentionem facere. Itaque ad alia deferor. In belli causa utriusque urbis et Chalcidis et Eretriae statum diversum ac naturam fuisse arbitror. Quo bello Graecos in diversas partes discessisse et belli societates fecisse memoriae proditum est. Sed tales societates bellis exortis fieri solebant. Ut et Argivi et Arcades et Elei foedere icto Messeniis contra Spartanos auxilium tulerunt, qui quidem a Corinthiis aliisque adiuti victores facti sunt; Pausan. IV, 6. sqq.; ita Thebani adiunctis sibi Aeginetis Chalcidensibusque cum Atheniensibus bellum gesserunt. Herod. V, 79. sqq.; neque cur ad bellum descenderint, aliud videmus atque, ut e nostrae aetatis ingenio dicam, aequilibratam inter civitates retinendam; minime vero communis consociatorum origo spectata est. Mueller Aegin. p. 114. Senioribus quidem temporibus, ut bello Peloponnesiaco, communis origo in foederibus icendis fere semper apparuit et si Jones cum Doriensibus coniunctos offendas, facile et praeter expectationem et cum exceptione id evenisse iudices. Praeterea hae posteriorum temporum societates bellicae aliam formam aliudque ingenium assumpserunt. Maxima vero admiratione dignum esse videtur, quod bello de terra Cynuria inter Spartanos Argivosque orto eiusmodi foederum vestigia plane non inveniuntur. Sed redeo ad propositum. Etenim ut in omnibus Jonum civi-

tatibus, ita etiam et Eretriae et Chalcide imperium penes reges fuit; quorum potestatem cum nobiles opulentique mox aegre ferrent, auctoritate illorum soluta rerum potiti sunt; quos quidem alibi alia nomina habuisse inter omnes constat. Apud Chalcidenses divites nominabantur *ἱπποβόται*. Herod. V, 77, VI, 100. cf. Plut. Cam. 104. ed. Wech., etiam *οἱ παχεῖς τῶν Χαλκιδέων*. Herod. V, 77. Syracusanorum Herod. VII, 155. et Samiorum Thuc. VIII, 21. locupletes propria appellatione dicebantur *γαμβροί* sive *γεωμβροί*. cf. Herod. VI, 22. Xenoph. Hellen. V, 2, 7. Hi vero ubi altio rem spiritum ducebant superbiusque in populum se gerebant, potestate deiici solebant. Id etiam Eretriae factum imperiumque penes populum erat, Theogn. Par. 893.

οἱ δ' ἀγαθοὶ φεύγουσι, πόλιν δὲ κακοὶ διέπουσιν.

dum Chalcis a locupletibus tenebatur. Neque aliter apud Milesios res publica libera instituta erat, cum Samii aut paucorum aut unius dominatione regerentur. Nihil igitur mireris et Chalcidensium adversus Eretrienses, qui libertatis studio inflammati modum excederent, bellum exarsisse et rem Milesiorum publicam liberam imperio Eretriensi populari, ne paucorum Chalcidensium incursionibus succumberet, opem tulisse. Quo bello cum complures Euboeae insulae regiones et urbes tum Lelantus campus devastabantur. Theogn. Par. 891. sq.

— — — *ἀπὸ μὲν Κήρινθος ὄλωλεν,*

Ἀηλάντου δ' ἀγαθὸν κείρεται οἰνόπεδον.

Illi vero Chalcidenses postea ab Atheniensibus, quibuscum belligeraverunt Herod. V, 77. sedibus pulsii aliis assumptis Naxum insulam appulerunt, unde in Siciliam egressi Leontium Catanamque condiderunt. Thuc. VI, 3. Eretria autem Persicis temporibus, ut ex Herodoti VI, 100. 104. narratione de eius expugnatione colligi potest, a populo tenebatur, quamquam paucorum factio non plane extincta est.

Huic autem narrationi pauca de Zancle Siciliae urbe subiungam. Hanc a praedonibus Cumacis, quae urbs antiquissima Graecorum apud Italos colonia dicitur, conditam et a Chalcidensibus, ut supra commemoravimus, e patria deiectis auctam esse Thuc. VI, 4. narrat. Eodem fere tempore, quo Persae contra Jones, qui ad libertatis spem desciverant, bellum cruentum gesserunt, legati Zancaei in Asiam venerunt, ut adsciscerent, qui una cum Zancaeis in ea Siciliae ora, quae ad Italiam spectat et *καλή ἀκτὴ* nominabatur, coloniam conderent. Herod. VI, 22. Samii vero soli cum Milesiorum profugis imperium Persicum odio habentes patria relicta et in Siciliam proficiscentes appulerunt ad Locros. Quod ubi cognovit Anaxilaus Rheginorum tyrannus inimicitiis Zancaeorum exagitatus Samios, ut Zanclem occuparent, permovit. Cum urbis iuventus cum Scytha rege maximam partem ad Siculos obsidendos intenta abesset, inceptum e voto successit. Zancaei autem cum urbem suam captam ab hostibus teneri intellexissent, et ipsi auxilio accurrerunt et Hippocratem Gelae tyrannum, quicum societatem fecerant, advocarunt, qui quidem Zancaeis verba dedit et ipsos eorumque urbem non sine magna mercede Samiis concessit. Scytha vero Zancaeorum rex captivitate cinctus aufugit atque ad Persas se contulit. Haec hactenus Herodotus VI, 23. Thucydides VI, 5. tamen mentione de Zancaeorum origine facta omnem hanc Herodoti narrationem praetermittit et Samios Anaxilai Rhegini, quem Herodotus l. l. et occupandae Zancles auctorem nominavit, insidiis ea deiectos esse dicit. Hinc vero Messanae nomen in memoriam Messeniae, quae patria Anaxilai fuit, urbs accepit. cf. Herod, VII, 164. Thuc. VI, 5. id quod certe factum est ante Olymp. LXXVI, 1. quo anno Anaxilaus diem supremum obiit.

His absolutis restat, ut quaedam de illo Cynuriensi, quod supra commemoravimus, bello disseramus. Valde simile et dissimile id esse videtur illi Euboico. Nam hae discordiae de terra exigua saepenumero renovatae ab anti-

quissimis ad Philippi Macedonis usque tempora, ubi Argivi terram amissam a Spartanis recuperaverunt, agitatae sunt. Nec vero Graecos hac de re in partes discessisse et auxilium uni alterive tulisse, ut Euboico Messeniacoque bello, usquam reperias. Herodotus VIII, 73. *Κυνοῦριοι ἀντιχθόνες ἔόντες δοκέουσι μὲν οὖν εἶναι Ἴωνες· ἐκδεδογίενται δὲ ὑπὸ τε Ἀργείων ἀρχόμενοι καὶ τοῦ χρόνου ἔόντες Ὀρνειῆται καὶ Πελοιοκοί.* Argis enim captis Dorienses fines imperii propagandos putaverunt atque vicinos subactos partim vectigales partim servos, ut Spartani Helotes Messeniosque, reddiderunt. In his etiam Orneates erant, unde omnia Argivorum mancipia publica nomen traxisse a C. O. Muellero, nescio quo loco, dicuntur. Ad hanc servorum publicorum sortem Cynurii quoque natione Jones redacti ab Argivis sunt. Sed Lacedaemonii finium propagandorum studiosi et Cythera insulam et terram ad Maleam promontorium sitam et Cynuriam occupaverunt. Multo autem serius bello Peloponnesiaco Athenienses magno cum Lacedaemoniorum damno Cythera ceperunt. Thuc. IV, 53, sqq. Jam Demaratus Laco, qui Lacedaemone exsul apud Persas degebat, Xerxi, cum adversus Graecos bellum faceret, ut insulae captae ad Laconicam vexandam praesidium imponeret, suasisse ab Herodoto VIII, 235. dicitur. Neque vero Thucydides haec respicit, quamobrem Dahlmann l. l. II, p. 218. sqq. multis aliis adiectis eum aut legisse aut novisse Herodoti historias negat. Nec tamen Argivi propter amissam Cynuriam quiescere potuerunt. Herod. I, 82. Sed quo tempore Croesus a Persis obsidebatur, bello redintegrato, cum iam utraque acies constituta esset, res ad certamen singulare ex compositione rediit, ita tamen, ut victor Cynuriam pretium ferret. Ab utrisque lecti trecenti sunt copiarumque summa, ne suos vinci videns auxilio accurreret, deducta domum est. Eo certamine cum ad unum omnes exceptis binis Argivis unoque Spartano cecidissent et utrique victoriam sibi vindicavissent, novum bellum grave exarsit, quo Argivi superati ac paene deleti a Cleomene rege Cynuriam Spartanis cesserunt.

Herod. VI, 77. sq. VII, 148.; neque spem eius recuperandae dimiserunt. — Etenim Argivos, cum bello Peloponnesiaco inducias pacemque facere cum Lacedaemoniis cuperent, litem, de qua supra exponere coepi, arbitris dirimendam conferri, aut Spartanis id abnuentibus, certamine renovato diiudicari voluisse ait Thuc. V, 41. Quamvis vero illud Herodoteum certamen singulare noverit — ὡςπερ καὶ πρότερόν ποτε ὅτε αὐτοὶ ἑκάτεροι ἤξιον νικᾶν — neque ullam illius mentionem fecerit, non satis habeo, quare Thucydidem Herodoti detractorem dicam, idque invidia ductum fecisse, sed alterum alterius historias fere ignoravisse non dubito, quin credam. Cynuriam vero Aeginetae per Athenienses sedibus pulsī a Spartanis acceperunt, ut ibi habitarent. Thuc. II, 27. III, 54. IV, 56. Sed ne hic quidem ab Atheniensium vexationibus atque incursionibus tuti vivere potuerunt.

Jam pervenio ad illustrem illam de Cylone inter Thucydidem I, 126. 127. atque Herodotum V, 71. discrepantiam. Quae huc spectant, aut aliunde pleraque nota sunt, aut apud utrumque legi possunt. Thucydides autem fusius uberiusque, et ut mihi quidem videtur, verius rem tractat, quam Herodotus. Critici veteres harum de Cylone, Pausania et Themistocle nobilissimarum digressionum perspicuitate gavisī eamque admirati istam haud inelegantem de Thucydide notam addiderunt, *ὅτι λέων ἐγέλασεν ἐνθάατα*, id quod Dahlm. I. I. II, 226. tantum in eius laudem interpretari non vult. Sed ad propositum veniamus. Nam ut in omnibus Jonum urbibus, uti supra demonstratum est, ita Athenis antiquata regia potestate imperium penes optimates fuit, quibus nomen erat *εἰπατριδαί*. Plebs autem, cum vim nobilium ad regis maiestatem contendentem aegre ferret, novis rebus studuit; itaque Draco, nobilium unus leges illas cruentas promulgavit, quibus plebs oppressa nihil melius sortita est. Ergo tantum abfuit, ut turbae domesticae sedarentur, ut aliquamdiū postea atrocius moverentur; quibus rebus optime declaratum

est, quantum ipsi nobiles potestatis fastigium adepti secum discordarent. Quae quidem turbae sub nomine seditionis Cyloneae vulgo feruntur. Cylo autem ex utriusque historiarum scriptoris sententia Olympionices fuit, et ut addit Thucydides, antiquae nobilitatis ac potentiae vir. Eum tyrannidis cupiditate ductum, Herodotus memoriae prodit, facta aequalium consociatione Athenarum arcem expugnare studuisse, quam cum capere nequisset, supplicem ad deae imaginem assedissee. Thucydides autem, qui has res accuratius perspicere potuit, Cylonem ait a Theagene Megarensium tyranno, cuius filiam in matrimonium duxerat, copiis ornatum oraculoque Apollinis Delphici commotum amicis assumptis arcem iisdem diebus expugnavisse, quibus Olympia in Peloponneso celebrabantur. Ol. XLII. Qua de re Athenienses certiores facti undique ex agris convenerunt, ut Cylonem obsidione circumcluderent; cuius diuturnitate defatigati *ἐπιτρέψαντες τοῖς ἐννέα ἄρχουσι τὴν φυλακὴν* — — τότε δὲ τὰ πολλὰ πῶν πολιτικῶν οἱ ἐννέα ἄρχοντες ἔπρασσον, ad suos dispersi sunt. Megaclem vero ex Alcmaeonidarum, qui a Codro genus derivabant, gente oriundum, ἄρχοντα, qui postea ἐπάνυμος dicebatur, fuisse, aliunde scimus. Cylo vero cum et obsidione et inopia premeretur, relictis in Athenarum arce sociis amicisque cum fratre aufugit, neque improbatōne digna coniectura esse videtur, eum ad Theagenem socerum se recepisse. Illi vero oppugnati atque inopia aquae cibariorumque vexati ac defatigati alii inedia perierunt, alii supplices ad aram deae assederunt, quae quidem dea Minerva Polias fuit, cuius nomen neque Herodotus neque Thucydides l. l. protulerunt. Sed uti dea Athenarum tutelarī est, prae aliis in arce βωμόν et ἄγαλμα habebat. De hac autem ara οἱ πῶν Ἀθηναίων ἐπιτετραμμένοι τὴν φυλακὴν, quum in templo pereuntes vidissent, ea lege, ne quid mali iis accideret, supplices deduxerunt; sed fide laesa eos interfecerunt; alii vero in furiarum — πῶν σεμνῶν θεῶν — aris assidentes a praetereuntibus custodibus enecati sunt. Apud Herodotum vero longe aliter res sese habet.

Non οἱ ἐννέα ἄρχοντες, sed οἱ προτάεις τῶν Ναυκράων eo tempore rem Atheniensium publicam gubernaverunt, quem quidem magistratum idem quod οἱ ἐννέα ἄρχοντες valere Passow lexic. s. v. ναυκράρος dicit. Antequam Clisthenes rem publicam Atheniensium constituisset, in urbe duodecim γρατεῖαι inveniebantur, quarum quaeque quatuor ναυκραρίας continebatur, quae primitus idem valebant, quod postea pagi; eae autem iam ante Solonem fuerint necesse est, propterea quod de προτάεσι τῶν ναυκράων, priusquam eius leges promulgatae essent, sermo iniicitur; quorum loco Thucydides l. I. τοὺς ἐννέα ἄρχοντας supponit, quos his προτάεσι praefuisse coniectura est. Böeckh Staatsh. der Athen. I. p. 274. not. id quod eodem fere redit, quod Passow innuit. Viris autem illustrissimis hanc rem non assentio, sed diversum a Thucydide ac deteriore auctorem secutum Herodotum esse statuo. Etiam Pausanias VII, 19. οἱ ἄρχοντες τὰς ἀρχὰς διέφθειραν τῆς Ἀθηνᾶς ἰκέτας τῶν Κύλωνι ὁμοῦ τὴν ἀκρόπολιν κατειληφόντων, qui ad Thucydidis sententiam plus facit. Neque οἱ προτάεις τῶν ναυκράων impunitatem sed vitae incolumitatem iis, qui in arce oppugnabantur, pacti erant. Alcmaeonidae autem Megacle duce veriti, ne ipsi imperio privarentur, morte eos affecerunt. Dahlm. l. I. II, p. 220. ipsum Cylonem interisse contendit, id quod equidem non video. Is enim cum arcem expugnare non posset ἰκέτης ἦεν πρὸς τὸ ἄγαλμα Herod. l. I., quod quidem in arce erat. Sed quomodo in arcem Cylo pervenit? Mox vero Herodotus pergīt τούτους ἀμισίασι ~~ἡλικίοναι~~ qui tandem sunt τούτους; Facile quispiam respondebit, ἡλικίοναι Cylonis. Recte; interfuitne autem iis Cylo? Non credo. Illum potius aufugisse dicam, ut Thucydides narrat; nam de eo Herodotus nominatim nihil nisi eum arcem capere conatum esse et ad deae imaginem assedissee tradit. Sed ut paucis dicam, quae in animo voluntur, locum maxime lacunosum atque ab Herodoto, si totam rem novisset, non talem, qualem de Cylone nunc legimus, perscribi potuisse arbitror. Thucydides autem Alcmaeonidarum gentem nominatim non dicit, ut Herodotus.

Cylone deiecto discordiae Atheniensium nondum desierunt, propterea quod nobiles mitius in plebem imperium non instituebant, quodque Megareses a Theagene tyranno excitati Atticam morbo pestifero dilaceratam bello vexabant. Itaque Alcmaeonidis a populo exactis, Thuc. I, 127., ab Epimenide Crentensi caeremoniis sacrisque deorum ira placata et Athenae ab omni lue liberatae sunt. Mox tamen Alcmaeonidae in patriam reduces cum Pisistrato nova rixa ac turba dissident. Herod. I, 59. sqq. Patria autem iterum relicta Lacedaemoniorum auxilio Delphicique oraculi opera adiuti Pisistratidarum gentem Athenis expellunt. Thuc. VI, 59. Herod. VI, 123. cf. V, 63. VI, 121. Cleomenes vero Laco, ubi sub popularis imperii auspiciis Athenarum opes augeri vidit, cum Isagora optimatum principe faciens *πέμπων ἐς τὰς Ἀθήνας κήρυκα ἐξέβαλλε Κλεισθένεα καὶ μετ' αὐτοῦ ἄλλους πολλοὺς Ἀθηναίων τοὺς ἐναγέας ἐπιλέγων*. Herod. V, 70. *Ἐναγέες* sive ut Thucydides I, 127. *ἐναγέες καὶ ἀλιτήριοι* facti sunt ista Cyloneorum caede. Exsules vero mox in patriam restituti, Herodot. V, 69-73. Thucydides tempore in urbe versati rei publicae praefuerunt.

Qua ratione de Cylone, Pausania et Themistocle narrationes inserit, eodem fere modo Thucydides IV, 54. 59. de Pisistratidis disputat, cum nos in eo legendo ad illa animum advertamus, quae futura sunt in Sicilia insula. Rerum vero coniunctio in hac Thucydides narratione admodum debilis ac tenuis esse videtur, eoque tantum, quod de diuturna imminenteque dominatione suspicio Atheniensium commemoratur, contineri VI, 53. *ἐπιστάμενος γὰρ ὁ δῆμος ἀκοῆν τὴν Πεισιστράτου καὶ τῶν παιδῶν τυραννίδα χαλεπὴν τελευτῶσαν γενομένην, καὶ προσέει οὐδ' ὑφ' ἐαυτῶν καὶ Ἀρμόδιον καταλυθεῖσαν, ἀλλ' ὑπὸ τῶν Λακεδαιμονίων, ἐφοβεῖτο αἰεὶ καὶ πάντα ὑπόπιως ἐλάμβανε*. Hac igitur re commotus accuratius de Pisistratidarum depulsione, quia neque alii neque Athenienses rectam causam profferrent, Thucydides loqui instituit. Nec vero a veritate plane abhorreat, si fuisse contendas, qui Hipparchum Atheniensium tyrannum dicerent; nec

tamen in his fuit Herodotus V, 55. ἐπεὶ Ἱππαρχὸν Ἱππίω δὲ τοῦ τυράννου ἀδελφεὸν — — quam quidem de Hipparcho opinionem etiam Thucydides I, 20. VI, 54. ratione habita exhibet.

Pisistratidae tyrannide sibi comparata, quamquam haud gravem in cives exercerent potentiam, complures tamen, ut Alcmaeonidarum Herod. V, 62. et Miltiadarum VI, 35. gens, eorum dominatione vexati eamque exosi Athenis exsules alii in Macedoniam alii in Thraciam se contulerunt, ut ibi habitarent. Interea tamen Hipparchus Harmodii amore captus ad sese eum trahere studuit, sed repulsa lata eum, ut ultionem exigeret ab illo sorore in publico et festo Panathenaeorum die, indigna, quae in pompa quadam qualum ferens incederet, iudicata, contumelia affecit. Quamobrem Harmodius maximopere iratus Aristogitonem, amatorem suum, qui Hipparchum oderat, excitavit, ut ad ultionem a tyrannis repetendam coniurationem faceret. Idque evenit. Sed in die Panathenaeorum magnorum festo, cum detectos sese crederent conspirati Hippia tyranno in Ceramico absente in Hipparchum eius fratrem incurrerunt eumque in urbe necaverunt. Interfectorum autem pars statim capta aut paullo post tradita, pars interempta est. Hippias vero nuncio caedis fraternalae allato satellitibus cives circumdedit atque perquisivit, numquid mucronum occulte gestarent. Haec Thucydides. Sed caedem Hipparchi fratris ulturus nec dominationem tutam ratus Hippias suspiciosior crudeliorque factus est multosque cives et civitate expulit et peremit. Thuc. VI, 59. Herod. V, 62. Quo facto cum alii exsules tum Alcmaeonidae Pisistratidas urbe eicere atque in patriam redire conati sunt, ac frustra Spartani, qui eodem tempore multos tyrannos sustulerant Thuc. I, 18. ab oraculo Delphico, quod Alcmaeonidae pecunia temploque splendidissime aedificato corruperant, excitati exercitum miserunt, qui Athenas tyrannis liberaret. Nam Pisistratidae accitis Thessalorum, qui fere semper ab Atheniensium magistratibus stabant Thuc. IV, 78., equitibus pugna superiores facti Spartanos

reiecerunt. At hi Cleomene duce novum exercitum miserunt, qui Pisistratidas ἐν τῷ Πελασγικῷ τείχεϊ quippe iam olim diris devoto Thuc. II, 17. obsedit; nec tamen opus perfecisset, nisi cum iam re infecta domum redire vellet, fato quodam adiutus liberos Pisistratidarum intercepisset; quippe qui liberos servare vellent, pactione facta quarto post Hipparchi caedem anno Attica terra excesse-
runt Thuc. VI, 59. seque Sigeum, quod bello tenebant Herodot. V, 94. con-
tulerunt, postquam triginta septem annos imperii Atheniensis gubernacula tem-
peraverunt Herodot. V, 65. Factum autem id est Ol. LXVII, 3. Herodotus
illam de Harmodio et Aristogitone Thucydidis narratiunculam plane ignorat,
tametsi eos Hipparchi interfectores fuisse non taceat. Etiam illud memoratu
dignum esse videtur Thucydidem non de Pisistratidis sed de Hippia imprimis
loqui, contra Herodotum nunc Hippiam nunc Pisistratidas exhibere; quam qui-
dem rem propterea ita evenisse arbitror, quod regnum non unus tantum, sed
tota gens moderabatur, licet maximum gentis natu virum etiam familiae eiusque
rebus praefuisse infitiaturus non sim.

Jam ad alia transeamus. De Aristagora, qui Jones contra Persas exci-
tavit, ultimis fatis inter Thucydidem IV, 102. atque Herodotum V, extr. non
convenit; hic autem illo accuratius et rectius de ea re scripsit. Ante pugnam
vero Ladensem Aristagorae de rebus suis desperanti ac patria derelicta aut in
Sardiniam insulam aut in Thraciam aufugere volenti solus Hecataeus, Hegesan-
dri filius, Milesius, oblocutus est, qui, ut in Lero, Cariae insula, castello
munito maneret atque proelii exitum exspectaret, sententiam tulit. Opinio autem
Aristagorae melior visa est. Is igitur, quicumque voluit assumpto Myrcinam
Edonidem Herodot. V, 11. petivit atque occupavit. Deinde autem πόλιν περικα-
τήμενος, cuius nomen VII, 114. alia occasione ἐννέα ὁδοί nominatur, a Thraci-
bus, qui eum fefellerant, interfectus est; nec tamen Herodotus locum, ubi diem
obiit supremum, indicat, quamquam eum non ignorabat; ibi enim postea Am-

phipolis condita est, quae utrum nota nec ne ei fuerit, nescitur. Dablm. l. l. II, 221. Thucydides autem IV, 102. eandem, inquit, terram ab Aristagora, quum Darium fugeret, tentatam esse. Nam cum in eo esset, ut coloniam eo deduceret, ab Edonibus, Thraciae gente deiectus est. Num Myrcini, an ubi terrarum aut quomodo interierit Aristagoras, nulla mentio apud Thucydidem reperitur.

Xerxe ad Salaminem superato Themistocles Graecos omnes ad pontem in Hellesponto factum dissolvendum permovere studuit, ut interirent copiae Persarum pedestres; cui consilio cum ab Eurybiade Spartano ducti refragarentur Herodot. VIII, 108., ipse dolo e Graecia barbaros removeere animum induxit. Itaque apud Andrum insulam concilio habito Atheniensibus, ut ab illo conatu desisterent, persuasit. Herodot. VIII, 109. *ταῦτα δὲ εἶπε ἀποθήκην μέλλων ποιήσεσθαι ἐς τὸν Πέρσας, ἵνα ἦν ἄρα τί μιν καταλαμβάνη πρὸς Ἀθηναίων πάδας, ἔχῃ ἀποστροφήν ἅπερ ὄν καὶ ἐγένετο.* Ex his verbis iam conficias Herodotum putavisse, Xerxe regnante Themistoclem in Asiam transisse, id quod ex Cornelii Nepotis v. Themist. IX. testimonio plerique scriptitaverunt. Thucydides vero I, 137. eum ad Ἀρτιοξέρξην, inquit, τὸν Ξέρξον νεωστὶ βασιλεύοντα litteras misisse, in quibus, quae de regia Persarum stirpe meritis sit, exposuerit. Jam duo in memoriam revocat; alterum, quod nuntio antea misso Xerxem regem certiore fecerit, Graecos fugam meditari, τὴν ἐκ Σαλαμῖνος προάγγελσιν τῆς ἀναχωρήσεως cf. Herodot. VIII, 75.; alterum, quod regi domum redeuntī non dissolvendi pontis auctor exstiterit καὶ τὴν τῶν γεφυρῶν, ἣν ψεῦδος προσποιήσαιο, τότε δι' αὐτὸν οὐ διάλυσιν. cf. Herodot. VIII, 109. E verbis Thucydidis satis apparet, non, ut Herodotus l. l. dicit, Graecos a Themistocle solum, sed rebus etiam esse prohibitos, quin pontem in Hellesponto Persicum rescinderent; id Persas quoque non ignoravisse, e multis indiciis liquet; atque illud Herodoti ad fabulas reiicio, quod Themistocles, qui apud historiarum

scriptores ambiguitate quadam animi premitur, gratiae reconciliandae causa Xerxem certiore de iis fecerit, quae Graeci agere vellent. Namque ille patriae amantissimus, quamquam ista Aristideae innocentiae ac iustitiae gloria non excelebat, eo tempore, quo de summis, quae veterum animos movere poterant, rebus agebatur, de talibus gratiarum reconciliationibus cogitare non potuit. Qui hoc in Themistoclis indolem intrudit, omni sublimitate eam privabit. Is autem seriore tempore, cum exsul patriam fugere coactus esset, pro prudentia sua rebus usus, quae antea evenerant, in commodum suum convertere studuit. Et omnino Herodotus ex iis, quae postea fiebant, magna illius momenti facta explicandi studiosus Themistocli consilia subdidit, quae unquam eum meditatam esse nego. Quod quidem inde fieri facile potuit, quod ipse hominum de magnis viris clarisque rebus iudicia atque narrationes non solum fastidiose non neglexit, sed saepenumero magni aestimavit. Hanc vero opinionem admodum comprobare possis Hippiae apud Herodotum vaticinio V, 93. ἡ μὲν Κορινθίου μάστιγα πάντων ἐπιποθήσει Πισιστρατίδας, ὅταν σφί ἦκωσι ἡμέραι αἰκνύουσαι ἀνιάσθαι ἐπὶ Ἀθηναίων.

Apud Thucydidem II, 74. Pausanias Mardonio ad Plataeas interfecto sacra in Plataensium foro *ἄν' ἐλευθερίῳ* faciens homines Plataeenses ab aliquo violari nefas haberi spondit Graecosque eo usque adduxit, ut sese iniurias iis illatas propulsaturos esse pollicerentur. Herodotus autem pulcrum hoc votum, cuius et alii scriptores mentionem faciunt, eius ignorantia, an re alia ductus nescio, plane praetermisit; in quo voto iam aliquid gloriosi et a veris Spartanorum moribus alieni inest. Nam praetereundum non esse censeo, quod omnes fere Lacedaemoniorum duces, qui extra patriam bella gesserunt, abiecta antiqua morum simplicitate corrupti altioremq; spiritum ducentes redierunt. Satis erit nominare Leotychidem Herodot. VI, 72., Cleandridem, Plistoanactem Thuc. II, 21. Gylippum, Lysandrum. De Pausania quid dicam? Capto enim

Byzantio ad Persas inclinavit Graecosque eorum potestati subiicere studuit. In hoc incepto superbia eius crevit; ne igitur Persarum satrapis inferior esset, mulierem e stirpe regia in matrimonium ducere cupivit Thuc. I, 128. Herodot. V, 32. ac more Persico coenavit Thuc. I, 130.; tantopere enim aberraverat ab antiquae simplicitatis integritate, quam post proelium ad Plataeas factum coena ad Persicum sumpsum parata luculentissime ostendit. Jam ut Themistoclem ab omni proditione liberum existere arbitror, ita Pausaniam et rebus gestis et Thucydidis testimonio ductus — τῷ δὲ ἔργῳ τὰ πρὸς βασιλέα πράγματα πρόσσειν, ὡς περ καὶ τὸ πρῶτον ἐπεχείρησεν ἐφιέμενος Ἑλληνικῆς ἀρχῆς, quamvis addubitante Herodoto V, 32. — εἰ δὲ ἀληθῆς γέ ἐστι λόγος — — ἔρωται οὐκ ἔστι τῆς Ἑλλάδος τύραννος γενέσθαι in proditionis causa fuisse prohiberi non possum, quin credam. Superbia vero Pausaniae socii laesi Herodot. VIII, 3. Thuc. I, 95. 130. a Spartanis ad Athenienses desciverunt atque Cimone Miltiadis filio duce Eionem ad Strymonem fluvium sitam obsidione circumdederunt. Thucydides I, 98. hanc urbem captam incolasque sub corona divenditos esse scribit. Non ita Herodotus VII, 107. Praesidio enim tenuit urbem Persa quidam nobilis, nomine Boges, qui magna cum virtutis gloria eam ab hostium impetu defendit et cum eo esset adactus, ut victus inopia premeretur, tantum abfuit, ut in hostium ditionem veniret, ut rogo exstructo, uxore, liberis servisque mactatis opibusque dissipatis urbem suaque omnia secum concremaret.

Illa autem, quam Pausanias Plataeensibus voverat incolumitatem, male observata est. Nam initio belli Peloponnesiaci Thebanorum quidam sub Eurymachi auspiciis noctu, ut Thucydides II, 1. sqq., qui rem fuse explicat, addit, Plataeas per proditionem intraverunt, sed a Plataeensibus, quum exiguam hostium copiam vidissent, partim occisi partim capti sunt; in his Eurymachus quoque fuit, qui teste Thucydide II, 5. postea enecatus est. Utrum Herodotus

VII, 233. Eurymachum proelio intra moenia urbis facto cecidisse, an postea supplicio interisse opinatus sit, ex ipsius verbis non satis liquet.

Deceleensibus, narrat Herodotus IX, 73., de Spartanorum re publica optime, ut in fabulis legitur, *ἠμερίτις καὶ ἐς τὸν πόλεμον τὸν ὕστερον πολλοὶ εἴτεσι τούτων γενόμενον Ἀθηναίοισι τε καὶ Πελοποννησίοισι*, cum Lacedaemonii terram Atticam ferro et igni devastarent, semper pepercerunt. Sed illa ipsa regio *μεταξὺ Πάργης καὶ Βριλήσσου*, ubi sita erat Decelea, imprimis direpta est. Thuc. II, 23. Si vero Decelea a direptionibus Lacedaemoniorum intacta remansit, id quod valde addubito, non illi Herodoti caussae fidem habeo, sed id propterea factum esse puto, quod Lacedaemonii aliqua et originis et sacrorum communitate coniuncti cum Deceleensibus erant. Postea vero Decelea ab Agide cum magno damno Atheniensium occupata munitaque est atque illi bello nomen dedit *τοῦ ἐκ Δεκελείας πολέμου*. Thuc. VII, 27. Prior autem belli pars, cui pace Niciae finis impositus est, apud veteres saepe *Ἀρχιδάμιος πόλεμος* appellatur.

Non ita multo post Eionis expugnationem, quam supra demonstravimus, novum bellum contra Athenienses a Carystiiis, Euboeae incolis, motum est. Thuc. I, 98., quod quidem et atrox et anceps fuisse, colligas ex Herodoto IX, 105. Nam pugna edita, qua Hermolycus Atheniensis, qui omnium Graecorum fortissimus apud Mycalen, Asiae promontorium, dimicaverat, mortem appetivit, utri victoriam reportaverint, ambigui potest; neque incredibile mihi videtur Athenienses pugna cessisse, quia novis demum auxiliis aucti Carystios eo adigere poterant, ut *καθ' ὁμολογίαν* se dederent. Thuc. I, 98.

Jam ad leves quasdam res transeamus. Persis in Asiam reiectis tanta et rixarum et bellorum multitudo tam inter ipsos Graecos quam contra externos hostes exarsit, ut rerum scriptoribus digna vix visa sunt, quorum nomina memoriae fere obiter prodantur.

In universum autem historia huius aetatis crassis tenebris obducitur neque quisquam hucusque eam in lucem satis evocavit. Neque huius loci est, haec omnia perscrutari, sed ea solummodo brevi censurae subiiciam, quorum commemoratio neque apud Thucydidem neque apud Herodotum intermittitur. Jam antiquis temporibus Athenienses colonias in Thraciam deduxerant, quae suis legibus uterentur. Sed Spartanis principatu Graecorum deiectis Atheniensium duces urbes apud barbaros condiderunt, quibus gentes terrasque ditone tenerent. Imprimis vero terra Strymonia appetebatur, propterea quod metallis abundabat. Jam Aristagoras eam potestati suae subiicere studuit, neque perfecit. Ut hic ea re deiectus est Thuc. IV, 102., ita etiam Athenienses saepe a barbaris oppressi magnas clades acceperunt Herodot. IX, 75. Thuc. I, 100. Deinde accessito maiore copiarum numero regionem ipsi tenuerunt ibique duce Hagnone Niciae filio Amphipolim urbem condiderunt Thuc. IV, 102. Thasii vero, qui et ipsi imperio huius regionis potiri conati sunt, in potestatem Atheniensium redacti sunt; a quibus cum propter defectionem obsiderentur, subito tantopere terra mota est, ut Lacedaemoniorum et urbs et civitas paene evanesceret. Eodem tempore servi seditione conflata civitatem ad ultimam fere necessitatem redegerunt; qua de re Herodotus IX, 64. memorato Acimnesti, qui solus ex Thermopylis sospes sed dedecore affectus apud Plataeas Mardonium interfecerat, exitu luculentum attulit testimonium. Thucydides autem I, 101. hac re uberius tractata de illa quidem ad Stenyclarum nobili pugna, quam Herodotus laudat, tacet, Athenienses tamen a Spartanis ad Ithomen arcem oppugnandam advocatos neque ita multo post propter novarum rerum studium remissos esse auctor existit. Quod quidem bellum vulgo Messeniacum tertium nominari inter omnes constat. Haec dum in Graecia geruntur, Inarus Libyae rex, Marea profectus Aegyptios, ut ab Artaxerxe Persarum rege desciscerent, perduxit et Atheniensibus, qui in Cypro insula bellum adversus regem faciebant,

in auxilium accitis, duas Memphidis partes, quae urbs Aegypti princeps fuit, cepit tertiamque oppugnavit Thuc. I, 104. Ex Herodoto autem III, 12. VII, 7. apparet, magnam Persarum multitudinem una cum Achaemene Aegypti praefecto regio Inari seditione confectam interisse atque Aegyptiis in potestatem redactis Inarum quidem defectorem cruci affixum esse Thucydides I, 110. testis est. Eius autem filius regni paterni gubernacula suscepit Herodot. III, 15., qui quidem Inari mortem non commemorat.

Interea Lacedaemonii pietate erga parentes commoti Doriensibus a Phocensibus bello exagitatis auxilium tulerunt. Athenienses autem atque Argivi cum multis de caussis irati iis, tum societate Phocensium obstricti, quominus per Isthmum hostes domum reverterentur, prohibere conati sunt; qui cum in Boeotiam se reciperent, Athenienses atque Argivi Spartanorum vim veriti exercitum miserunt. Itaque grave editum ad Tanagram proelium est, e quo magna utrimque strage facta Spartani victores decesserunt Thuc. I, 107. sq. Herodotus vero IX, 35. Tisameni e nobili Jamidarum gente, qui Olympiae sacra faciebant, oriundi laudem pronuntiando illam pugnam digito tantum demonstrat aequae atque alias res a Spartanis praeclare gestas, quarum cognitionem ad nos non descendisse maxime dolendum est. Neque ita multo post incolae Euboeae ab Atheniensibus defecerunt, sed a Pericle devicti patriaque eieci sunt. Hestiacae eorum urbs Herodot. VIII, 23. Thuc. I. 114. a colonis Atticis Orei nomen accepit.

His autem addam, quae de Euesperidibus apud Thucydidem Herodotumque reperiuntur. Thucydides VII, 50. ita de iis loquitur, quasi Graeci et Cyrenaeorum pars fuerint. Neque hoc a veritate abhorrere videtur. Nam non satis video, cur Peloponnesii, qui ad illud gravissimum Syracusanum bellum contendebant, remoto barbarorum bello tempus viresque perderent, nisi qua originis necessitudine commoti essent, ut Euesperidum obsidionem solverent. Ex Hero-

doto IV, 171. 198. 204. talis necessitudo plane non apparet. Euesperidum vero, qui a Scylace Peripl. 107. sq. Hesperides nominantur, terra in finibus Cyrenaeorum sita erat. In hac autem terra propter locorum pulchritudinem ac dulcedinem fabulam de Hesperidum hortis veteres collocaverunt. Urbs vero Hesperidum modo Beronice modo Berenice postea dicta est, sed hodie Bengasi Poppo prol. t. II. p. 496., aut ut alii volunt, Bernik, Berbik et Berik.

Jam vero de Atheniensium re publica pauca disputabo. Quum pecunia publica, quae ex metallis Lauriensibus Thuc. II, 55. οὗ τὰ ἀργύρια μέταλλά ἐσαν. — Herodot. VII, 144. — — τὰ ἐκ τῶν μετάλλων σφι προσήλθε τῶν ἀπὸ Λαυρῆϊου — redibat, partim largitionibus magistratuum quotannis interisset, partim civibus distributa esset, Themistocles populo persuasit, ut ea pecunia classis ducentarum navium aedificaretur ornareturque. Bellum enim Aegineticum imminabat Herodot. VII, 144. Thuc. I, 14.; quo quidem bello, quamvis iniuste fieret, Graeci a servitute liberati sunt. Nam Athenienses eo ad rem maritimam delati adeo excelluerunt, ut Xerxe contra Graecorum libertatem superbius incedente fere soli non tantum sermonibus orationibusque, sed etiam factis Graecos de salute desperantes animumque abiicientes continere valerent. Etenim urbe relicta mulieres liberosque in Salaminem insulam aliosque locos tutos abdididerunt; ipsi autem navibus conscensis, quarum ceteris cunctis Graecis maiorem numerum praebuerunt, cum Peloponnesiis aliisque, qui Peloponnesi fines tantummodo defendere volebant, coniuncti ingenti Persarum classi obviam ivere. Non convenit de navium numero inter Thucydidem atque Herodotum. Etenim in illa pactione, quae ante initium belli Peloponnesiaci conficiebatur, Atheniensium legati de meritis patriae communis gloriati ipsos ad pugnam Salaminiam ducentas sexaginta sex naves ornasse iactant Thuc. I, 74.; si vero Herodoteam illarum navium computationem VIII, 52-48. perspicias, Athenienses hoc bello ducentis tantum navibus longis usos esse patebit cf. Boeckh Staatsh. der

Athen. I. p. 276. not. Neque ullam de hac discrepantia coniecturam proferre ausim neque Thucydidi, qui vir Atticus historiam patriae perbene tenebat, eiusmodi errorem tribuam; sed legatos Atheniensium magniloquentia Attica, quam Corinthii iis obiiciunt Thuc. I, 70., fama quadam numerum augente, usos tantam navium multitudinem pronuntiavisse opinor, quantam nunc legimus; Thucydidem vero eam rem neglecta huius superlationis commemoratione, neque addita, utrum numerum iustum verumve nec ne proferret, sententia, ita adhibuisse atque in usum suum convertisse. Sed haec coniecturarum via magis lubrica est, quam ut incedam.

Hoc autem bello, quod Xerxes Graecis intulit, mirum in modum Spartani tergiversati sunt, cum paullo antea, ubi Persae Alexandro Macedonum rege internuntio usi Athenienses in partes suas trahere studebant, nihil praetermitterent, quo minus id fieri impedirent Herodot. IX, 8. Qua in re non communem Graecorum salutem sed suum tantummodo commodum eos spectavisse suspicio est. Nam extinctis Atheniensium opibus principatu totius Graeciae facile potituros se esse speraverunt. Hanc vero malam tergiversandi consuetudinem optime depinxit Thucydides I, 69., ubi etiam iactationem Lacedaemoniorum, cuius insigne exemplum apud Herodotum I, 152. sq. reperitur, subridicule in legatorum Atheniensium oratione notavit.

Jam de Delo, insula pauca adiciam. Haec a veteribus Apollini sacra propterea habebatur, quod Latona deum eiusque sororem parere gestiens eam incolumem sacramque fore promiserat. Hom. hymn. Apoll. 53. sqq.

Ἄλλος δ' οὔτις σεῖο ποθ' ἄψεται, οὐδέ σε τίσει,
 Οὐδ' εὐβουν σε ἔσεσθαι ὀτομαι, οὐτ' εὐμηλον,
 Οὐδέ κ' ἀγνήν οἶσις, οὐτ' ἀρ' φητὰ μυρία φύσεις,
 Αἰ δέ κ' Ἀπόλλωνος ἐκαέργον νηὸν ἔχησθα,
 Ἄνθρωποι τοι πάντες ἀγνήσουσ' ἐκατόμβας

Ἐνθάδ' ἀγειρόμενοι· κνίσση δέ τοι ἄσπετος ἀεὶ
 Ἀθρὸν, ἄναξ, εἰ βόσχοις, θεοὶ κέ σ' ἔχωσιν
 Χειρὸς ἀπ' ἀλλοτρίης· —

qua de re Delos valde gavisa est. v. 90. cf. 146.

Ἀήλος μὲν μάλα χαῖρε γόνῳ ἐκάτοιο ἄνακτος.

Hoc autem dei partu Delos insula, quae antea circumagebatur, sistebatur et a Pindaro fragm. prosod. I. *χθονὸς εὐρείας ἀκίνητον τέρας* nominatur. Maxima igitur admiratio religioque mota est, cum Ol. LXXII, 3. illa insula terrae motu concuteretur Herodot. VI, 98. Is autem Deli motus plane ignoratur a Thucydide et alius principio belli Peloponnesiaci factus, ab eo II, 8. fertur fuisse primus.

Quantum vero sanctitas Deli a Graecis aestimata sit, ex insulae lustrationibus facile colligas, quarum prima a Pisistratidis peracta est. Herodot. I, 64. *καθήρας δὲ ὄδε· ἐπ' ὅσον ἐποψίς τοῦ ἱεροῦ εἶχε, ἐκ τοῦτου τοῦ χώρου παντὸς ἐξορούζας τοὺς νεκροὺς μεταεόρει εἰς ἄλλον χώρον τῆς Ἀήλου.* Haec autem alia terra Rhenea, parva insula, haud procul a Delo sita, ab Hom. hymn. Apoll. 44. *πετροήεσσα* nominata, esse videtur, quam Polycrates Samiorum tyrannus bello captam, cum Delo insula catena coniunctam Apollini Delio dono dedit atque dedicavit. Etiam Thucydides III, 104. illam a Pisistrato factam Deli lustrationem memorat, cum de ea, qua suo tempore tota insula lustrata ab Atheniensibus est, verba faceret. A Pisistrato quidem tantum Deli insulae lustratum est, quantum e templo Apollinis prospicere potueris. Postea vero ab Atheniensibus oraculo quodam ductis tota insula mortuorum corporibus aliisque rebus, quas vulgi opinio profanas exhibebat, purgata et mulieribus, ne infantium partu insulam polluerent, interdictum est. In quem usum Delii Rheneam insulam, quam a Polycrate Samio acceperant, adhibuerunt Thuc. III, 104. De insulae lustrandae modo ac ritibus nulla est dissensio. Hac autem Deli sanctitate,

antequam ab Atheniensibus lustrata esset, Datis quoque Persarum dux, cum insulas maris Aegaei armis subigeret atque adversus Graecos bellum faceret, ne ad eam naves appelleret, motus esse videtur Herodot. VI, 97. De Deli lustratione discrepantia inter Thucydidem Herodotumque vix intercedit, nisi forte alterum altero accuratius ac fusius eam delineavisse dicas; illius autem lustrationis Deliacae, quae ab Atheniensibus peracta est, apud Herodotum nulla memoria conservatur, sive quod eam ignorabat, sive eius commemorationem differebat in aliam historiarum suarum partem, quam iste quominus perscripserit atque absolverit, nescio quo fato impeditus mihi esse videtur.

Reliquum est, ut breviter de nomine terrae Italiae disseram. Derivatur autem id nomen ab Etrusco verbo vitlu, id quod apud Graecos demto digammate Aeolico *ιταλός* audit, significatque bovem. Est igitur Italia terra, quae re bubula insignita est. Qui quidem homines hoc nomine primi usi sunt, ei parti terrae id indiderunt, quod intra Rhegium urbem et castra Hannibalis situm postea Bruttium meridionale veteres dixerunt; unde profectum hoc nomen toti terrae inditum est, cum Romani dominationi suae eam paullatim subiicerent. Nam antiquioribus temporibus complura nomina habuit neque uno omnis terra complectebatur. Plurimum autem valuit vocabulum Tyrseniae, quo cuncta fere peninsula monstrabatur Herodot. I, 163. VI, 22. Thucydides VI, 2. et qui eiusdem aevi scriptor Antiochus ab Aristotele Pol. VII, 10. laudatur. Italia autem meridionalis antiquis temporibus magna Graecia sive maior Graecia a Romanis, sed a Graecis *ἡ Ἑλλάς μεγάλη* nominabatur, propterea quod in ea multae et magnae civitates fuerunt e Graecia profectae. At Plautus comicus Trucul. II, 1, 55. Graeciam parvam dicit, quam Italiae partem alii magnam Graeciam appellare solebant, quod nomen audiri desiit, cum Romani Italiae gubernacula concutere coepissent.

Jam extremum est, ut paucis de utroque scriptore adiectis meae disputationi finem imponam. Quamvis viri docti magno labore magnaue ingenii sagacitate, quibus rebus hos nostros contendant, investigare studuerint, tamen omnes eorum comparationes contortas et claudicantes nominare vix dubitem. Neque meum fuit longam comparationem instituere, sed nullo externarum narratiuncularum respectu habito ex ipsis scriptoribus, quid affinitatis inter utrumque intercedat, investigare animum attendi. Sed non minus multis aliis, quam omnibus, quae a me excussae sunt rebus paene eo delatus sum, ut credam, illam praelectionem Olympiacam Herodotearum historiarum annumerandam esse fabulis, quibus inter viros claros coniunctio effici solet, et Dahlm. I. I. II, p. 216. sqq. Thucydidem Herodoteos historiarum libros fere nescisse recte sentire. Nam in nullo loco plane eadem, quae quidem plerumque consociari possunt, apud utrumque reperias et semper excellentissima uniuscuiusque scriptoris indoles luculenter prodibit; nec vero apud Thucydidem occultos in Herodotum impetus reperire possum, et si summam spectes, illa occulta ac dolosa detrectatione detrahi de Thucydide, quem Niebuhr noster omnium doctissimus Rh. Mus. I, 2. p. 196. sanctum quamvis alia mente nominat, atque ab eius moribus eam abhorrere puto. Denique Niebuhr clarissimi sententiam kl. Schrift. p. 118. not., quales Herodoteos historiarum libros hodie legimus, iam Peloponnesiaci belli tempore compositos atque omnibus numeris absolutos fuisse, meam quoque profiteri non audeo. Haec habui de Thucydide atque Herodoto, quae dicerem.

Corrigenda.

Pag. 1, 1. corrige *Thucydidis.*

— 1, 9. — ἀκλεῖ.

— 3, 21. — nisi pro *non.*

— 8, 19. — τοῖσι — τοῖσι.

— 9, 12. — non — *perque.*

— 15, 20. dele *lapsum.*

— 18, 18. dele *in eo legendo.*

— 21, 5. corrige *alibi pro ubi.*

— 24, 26. — *sint* — *sunt.*

Alia vitia typographica levioris momenti lector benevolus corrigat.